POSITIONES QUÆDAM DE LUE VENEREA GENERATIM SUMPTA,

AUCTORE,

PAULO BOISSE, cive Ruthenenſe, ex Natione Gallicâ, Partitione d'Aveyron, anno Libertatis 2, ſalutis verò 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Læta venire venus triſtis abire ſolet.

OVID.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Universitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.
M. DCC. XCI.

PATRIÆ CARISSIMÆ,

DICAT, VOVET, ET CONSECRAT,

Prima laborum in Medicinâ rudimenta.

Ferventiſſimus Civis;
PAULUS BOISSE.

POSITIONES QUÆDAM

DE

LUE VENEREA GENERATIM SUMPTA.

DE naturâ, & origine virûs venerei omnis est controversia apud auctores; alii contendunt nobis allatum fuisse à *Colomb* ex Americâ; alii nobis translatum fuisse in Hispaniâ per emigrationem Judæorum; alii provenire ex Elephantiasi; alii ex influxu syderum; alii à terræ motibus; alii ex coïtu cum mulieribus mensibus elaborantibus, &c. &c. Sed inanes illas concertationes, hypothesesque parvi facientes, cum illustrissimo *Van-Swietenio* pronuntiare non dubitamus *sufficere Medico luem præsentem cognoscere, & cognitam curare, licèt de naturâ ipsius morbi non constet, & contagii communicati modum non adeò exactè noverit.* Notandm tamen est viru venereum esse venenum sui generis, humores omnes præsertimque lympham contaminans, &c.

Lues venerea maximam Clinicorum attentionem alliciens propter ſtragem quàm exercet erga genus humanum, ſimilis eſt *Protheo* varias ſcilicet deſumit formas reſpectu habito ad activitatem ſeminii venerei, & idioſyncraſiam ſubjecti, & aliquandò magnam expoſtulat ſagacitatem ad illam dignoſcendam. Attamen ſi ab impuro coïtu, paucis diebus, vel aliquandò poſt plurimas hebdomadas, vel raró poſt plurimos annos, ſuperveniant gonorrhœa, ulcuſcula, bubones, porri, ficus, rhagades, & alia ſimilia: creſcente verò morbo ophtalmiæ, ulcera lardacea, in diverſis corporis partibus, ſed præcipuè in gutture, narium eroſio, puſtulæ, tubercula præcipuè fronti jacentia, oſſium dolores, noctu calore lecti ingraveſcentes exauſtoſes quæ non raró òſſium cariem & conſumptionem poſt ſe ducunt, mollities partium ſolidarum, &c. talibus diris ſymptomatibus quibus cruciatur infelix libidinoſus lue venereâ elaborari certè dubitandum non eſt?

Notandum tamen eſt, quòd ſemper lues venerea non provenit ex impuro coïtu, ſed etiam opportet ut pars contacta tenera donatur cuticulâ, ſicut pars preputii interna, glans, urinæ meatus, clytoridis, nympheæ, vaginæ, oculi, mammæ, anus, nares, lingua, labia, & aliæ plurimæ partes. Ex teſtimonio *Swediaur* per ſudorem infici poteſt, juxtà exemplum *Boerhaavio* relatum per ſalivationem.

Lues ſyphilitica ut plurimùm, eas partes inquinat quibus per contactum appoſitum fuit viru; itaque cum ex impuro coïtu ſemper aut ferè ſemper oriatur, ejus ſigna ſaltem plurima in partibus genitalibus frequentiſſime vigent. Attamen aliquandò evenit quod ſeminium venereum penetrat intima corporis organa, illæſis partibus quæ contactum paſſæ fuerunt; taliſque latentis mali ſigna ſunt, corporis inertia, membrorum graviditas, ſpontaneæ laſſitudines, ſomnolentia ferè continua, corporis macies, animi perturbatio; mœror, laſſitudo, pallor generalis, virium proſtratio, oculorum alteratio, dolores oſteocopi, qui dolores rodentes, terebrantes, vibratices, primò magis erratici, poſteà ſensìm ſensìmque fixiores &

constantiori fiunt, &c. aliquandò etiam ad humores devectum viru nulla sui vestigia præbet nisi multis elapsis annis post conceptam labem; tuncque subitò sese evolvit majorique donatur intensitate quam apud recens affectum; & tunc sæpissimè observantur sensuum læsiones, vertigines, vigilia, appoplexia, deliria, epilepsia, cæcitas, surditas, fistulæ, caries ossium, & tumores quos premendo tantus procreatur dolor, ut omnes corporis functiones turbentur.

Eò majus ægrotans luctuosus est quò graviora sunt symptomata, & quo partes nobiliores læduntur; verbi gratia affectionum mere localium certior faciliorque est curatio quam universalium & inter universales faciliùs curantur ii quorum causa tantùm humoribus inest. Si exostosis interna, vel caries in cerebro oriatur; si corrumpatur ossium medulla, si fortitèr lædatur pulmo; in angusto spes est ægrotans; si cum scorbuto, febribus intermittentibus, aliisque morbis complicetur, non rectè adimpletur curatio nisi morbus uterque separatim debelletur, minùs reformidanda venit in adultis quam in senibus, & infantulis, robustis, quàm in cacochimis, minùs etiam periculosa est lues venerea in regione calidâ quàm in frigidâ; cautè propugnari debet viru venereum apud mulieres utero gestantes.

Lues syphilitica vel est hæreditaria, vel recens, vel chronica, vel complicata; vel benigna, vel inveterata, &c. Quæ variæ hujus morbi species, divisionesque facilè disjudicantur, tùm est symptomatum naturâ, & congerie, tùm ex eorum vehementia &c. Uno verbo vigentibus symptomatibus sat facilè ponitur luis venereæ diagnosis; sed quandò dubia sunt symptomata, curationem tentare nam debet Clinicus nisi ingenuè confiteatur ægrotans coïtum impurum exercuisse.

Plurimi Medici luem veneream curare tentarunt cum variis auxiliis ex triplici naturæ regno desumptis. Inter vegetalia virtus antivenerea concessa fuit, lignis quibusdam, tùm & radicibus ex classe sudoriferorum de-

ſumptis. Hæc ſunt lignum Guaiacum, bardanæ, ſarſæque parillæ; &c. Sed remedia illa minimum tantùm offerunt auxilium niſi in regionibus calidis, meliùſque in noſtro climate inter remedia ſecundaria aut adjuvantia annumeranda ſunt. Nonnullæ reperiuntur obſervationes apud auctores Anglos quibus opium in lue venereâ magno cum emolumento adhibitum fuiſſe conſtat; & certiſſimum eſt opii præparationes, in affectione locali convenire, nam partes irritatas, demulcent, leniunt, in ſtatumque naturalem ſoluto ſpaſmo reſtituere valent.

Aſt præſtantiſſimum antivenereum præbet regnum minerale, mercurium ſcilicet cum debitis cautelis & debita doſi, &c. præbeatur. Hoc vel cuti admovetur ſub forma frictionum vel intùs ſub forma pillularum aſſumitur, non uſque ad longam ſalivationem, ut plurimi auctores crediderunt ſed uſque ad levem oris irritationem, interpolatis balneis, juſculis diluentibus, aliiſque juxtà idioſyncraſiam, ætatem, ſexum, vires ſymptomata, &c. Attamen aliquandò evenit quod morbi venerei non obediunt mercurio cum cautelis ſuperiùs laudatis adhibito; & tunc recurrere opportet ſublimato corroſivo, à plurimis auctoribus laudato, & ab aliis præſcripto, tanquàm venenum ſtrageſque plerùmque edente in corpore; nam teſtante *Stoll. Viſi ſunt morbi venerei quidam rebelles mercurialibus cum cautelis ſuperiùs laudatis adhibitis obedire ſublimato corroſivo.* Hinc concludere poteſt nullam mercurii præparationem ſemper & ubique in omni & ſingula lue venereâ depredicandam, tanquàm univerſale antivenereum remedium. Idcircò modò huic, modò illi præparato locus eſt, pro diversâ ægrotantis aut idioſyncraſia, aut ipſius morbi venerei in variis hominibus diverſa modificatione, aut luis cum aliis morbis, morboſiſque conditionibus diverſa complicatione.

Notandum eſt quod clinicus hydrargirum niſi temere adminiſtrare poteſt infantulis à nativitate lue venereâ elaborantibus, propter illius ætatis debi-

litatem. Tunc ex experientiis relatis clar. *de Hormes*, *Loeſeque*, *Daumont*, *Levret*, *Vigarous*, *Fouquet*, *&c.* Indirectè adhibetur dùm lac nutritium ſive mulierum ſive caprarum ope mercurii, & variarum ejus præparationum medicatum fuit.

In Noſocomio Pariſienſi, dicto (*Hoſpice de Vaugirard*) infantulis lue venereâ affectis curantur lacte nutritium quæ ipſæmet infectæ tractantur.

Animale regnum quædam ſuppeditat auxilia adversùs luem veneream, ſic commendatæ fuerunt quædam lacertarum ſpecies (vide *Joſ. Elores*, *ſpécifique ſimple & aiſé*, *&c.* . . . Lauſanne, 1784. Laudârunt alii alkali volatile (vide *Perilhe*) ſed minùs commendenda illa remedia ac methodum Monſpelienſem.

Tandem ut finem imponam notandum eſt quod nunquam ahiberi debeant antivenerea qualiacumque ſint, niſi præmiſſis, id eſt, generalioribus therapeuticis auxiliis, purgantibus nempè ſi ſit indicatio, venæ-ſectione in ſubjectis plethoricis, vel ſi accendatur febris &c. Niſique recta ſimùl & conveniens inſtituatur diæta.

DIXI.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.